Disputatio theologica de ecclesia Dei, ejusdem o. m. auxilio, in Regiâ Acad...

Svenonius, Enevald,

11 Ae (var. a)

KUNGL. BIBLIOTEKET
National Library of Sweden

5.°1. Var A

Dis. Abo

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICA DE ECCLESIA DEI,

Ejusdem O. M. Auxilio,

In Regiâ Academiâ Aboënsi publicè proponenda,

PRÆSIDE

ENEVALDO SVENONIO,
Q. G. Al. S. S. Theol. Doct. & Prof. Publico.

RESPONDENTE

OLAO. VALLINO, Oelando,
S. R. M. Alumno.

Ad diem 26. Febr. A. G. 1664. In Aud. Max. horis ab 8. matutinis.

ABOÆ,

Impressa â PETRO HANSONIO Acad Typ.

Haudus Lietzen. 6

Præclarâ Legum, Judiciorumq; Prudentiâ Consultissime VIR,

DN. NICOLAE Lietzen/

Regij Dicasterij in Magno Finlandiæ Ducatu Adsessor gravissime, Territorij Wemoënsis Judex æquissime, Promotor ac Patrone optime, ut & Nutritie liberalissime, quovis honoris reverentiæ & amoris cultu æternùm prosequende.

PUlcherrimam hanc necessitatem hominibus imponit Magnorum Virorum favor, ut gratam acceptorum beneficiorum memoriam ostendere nusquam non teneantur; Animus enim beneficijs ornatus, memorem & gratum nisi se præstiterit, in Deum impius & in homines injustus meritò reputatur. Mihi proinde, quem tot Tuis, Mecœnas optime, beneficijs per quadriennium & quod excurrit, quo filij Tui informandi gratiâ, Domi Tuæ sum commoratus, cumulâsti, sedulò erat dispiciendum, ut aliquod meæ in Te reverentiæ monumentum excitare possem, cujus occasioni dum velificarer, Ecce, commodum sese mihi obtulit præsens hoc Exercitium Theologicum, quod utiquè Tuo Nomini, in qualecunquè sinceræ Religionis testimonium, debitæ observantiæ signum, & justæ gratiarum actionis notam, dicandum existimavi. Obstitit quidem sub initio pagellarum paucitas, quam non satis dignam subverebar, quæ Tuum Nomen præ se ferret; Argumenti tamen dignitatem cum perpenderim, Tuamquè in æstimandis literarum monumentis æquanimitatem; Posito metu, Primitùs Nomini Tuo quod destinâram, nunc sub eodem divulgare, Tibiquê inscribere & offerre non dubito. Accipe igitur, Fautor colende, sereno vultu chartaceas hasce pagellas, Accipe, inquam, magni adfectus monumentum exiguum ab eo, quem Tuo favore honorificentissimo hactenus dignum judicasti, Tuisquê varijs beneficijs ornasti. Vale! vive diu felix, vigeq; !

Consultissimum Dn. Adsessorem

Dabam Aboæ 17. Februarij Anno Æræ Christianæ 1664.

Officiosissimè colens

Olaus Vallinus.

COLLEGII THEOLOGICI
DISPUTATIO SYNOPTICA XXIII.
De
DEI ECCLESIA.
PRÆSIDE
ENEVALDO SVEN. Q. G. Al. S. S. Th. D.
& Professore Publico.
Respond. OLAO VALLINO Oelando, S. R. M. Alumno.
Examinanda Aboæ, in Audit. Max. ad diem 13. Febr. A. g. 1664.

THES. I.

VOx ἐκκλησίας Evocationem significat, adeoq; cum separationem notat resp. *termini à quo*; tum collectionem, ratione *termini ad quem*. Ἀπὸ τȣ̃ καλεῖσθαι est etiam κλῆσις vocatio, quæ fit tubâ Evangelij per *Verbi divini ministros*, de quibus novissimè dictum, inflatâ. Eodem modo ab Hebræis appellatur *Kahal* à congregando, & *Edah*, ab indicendo & conveniendo. Vocabulum συναγωγῆς usurpabatur in V. T. sæpiùs, rariùs verò in N. utpote, Jac. 2:2. quò refer Matth. 23:37. Heb. 10:25. vix alibi.

II. Accipitur verò nomen Ecclesiæ, 1. Ἀκύρως, pro loco sacro seu templo, quo respicit, Luc. 7:5. Act. 15:21. c. 8:7. 2. Κυρίως, pro ipsis hominibus vel actu congregatis, vel ad unam societatem pertinentibus, idq; vel *Generatim* & quâvis de causâ, ut Act. 19:39. vel *Speciatim*, nomine Religionis, sive *Falsæ*; & dicitur *Ecclesia Malignantium*, quam aversari se & odisse recipit David Ps. 26:4.5. Sive *Veræ*; quæ est Ecclesia Dei, quam summo amore divinus vates amplectitur, v. 6. 7. 8. Atq; tum ante natum Christum in populo Judæorum V. T. existebat, tum post Messiam exhibitum in N. T. per totum terrarum orbem propagata perpetuòq; mansura

est, Rom. 3: 2. c. 10: 18. Ps. 19: 5. Matth. 16: 18. c. 28: 20. Joh. 10: 16. 28. c. 17: 11. 2. Cor. 11: 2 Unde dicere in Symbolo Apostolico solemus: *Credo sanctam catholicam Ecclesiam*, (additâ brevi def.) *Sanctorum communionem*, h. e. verè credentium: sic enim in masculino genere ea vox usurpatur, Act. 26: 18, τοῖς ἡγιασμένοις πίστει, τῇ εἰς ἐμέ, 1. Cor. 14: 33. Eph. 1: 18. Col. 1: 12. Callidè ergò agunt *Syncretistæ* qui ἁγιασμὸν Heb. 12: 14. à Fide separant, ut obtineant B. O. unâ cum fide conducere ad conseq. salutem, conf. Joh. 17: 17. Judæ Ep. v. 20.

III. Confessores Augustani ita eam definiunt: *Ecclesia est congregatio Sanctorum, in quâ Evangelium rectè docetur, & ritè administrantur Sacramenta*, Art. VII. Ubi mox additur art. 8: *Sanctorum & vere credentium*, licet multi mali & hypocritæ illis admixti sint.

IV. Nota proinde statim contra Pontificios, quod Ecclesia sit cœtus hominum, in quo Filius Dei per verbum & Sp. Sanctum multos regenerat ad vitam æternam, licet multi non sancti interfuerint, Eph. 5: 27. c. 4: 4. 1. Joh. 1: 3. Matth. 13: 25. c. 23. 28. Unde in Apol. A. C. appellatur societas non tantùm externarum rerum ac rituum; sed principaliter Fidei & Spiritus Sancti, qui corda eorum renovat, sanctificat & gubernat; imò est vivum corpus Christi & ejus Regnum, distinctum contra Regnum diaboli, cujus membra sunt impij; licet in hâc vitâ sint admixti Ecclesiæ, & cum ea sociatatem externorum signorum habeant, gerantq; in Ecclesiâ officia. Quanquam igitur hypocritæ & mali sint socij hujus veræ Ecclesiæ secundum externos ritus, tamen cum definitur Ecclesia, necesse est eam definiri, quæ est vivum corpus Christi, item, quæ est nomine & re Ecclesia. pag. 144. seqq.

V. Huic nostræ orthodoxiæ suffragatur veneranda antiquitas: *Augustin. Lib. 1. de Bapt. cont. Donat.* ait: *Duæ sunt civitates, h. e. duæ Ecclesiæ, quarum una peperit Abel, Enoch, Noe, Abraham, Mosen, Prophetas, Apostolos, Martyres & omnes bonos Christianos: Altera verò Cainum, Cham, Ismaelem, Esau, Iuda, Simonem Magum & cæteros Pseudo Christianos, sive in unitate permixti sint, sive apertâ præcisione dissentiant*; Greg. in Ev. ait: *Multi Christianitatis quidem*

nomine

nomine censentur, Christianitatis autem non habent Fidem.

VI. 1. *Efficiens* Ecclesiæ est Spiritus S. vocans & colligens eam per verbum & Sacramenta ope Ministrorum, conf. Luth. com. in 3. art. Symb. *Autor*, Dominus & caput Ecclesiæ est Jesus Christus, cui à Patre data est tanquam hæreditas, Ps. 2:8. Ps. 100:2. qui eam redemit & proprio sangvine sibi acquisivit, Act. 20: 28. Quiq; ejus Sponsus est, Cant. 1. 2. 3. seqq. capp. Esa. 54: 5. Jer. 31: 21. Ezech. 16: 8. Joh. 3: 29. 1. Cor. 11: 3, Eph. 5: 25. Et Caput, Eph. 4: 15. 16. Imò Fundamentum Unicum, 1. Cor. 3: 11. Eph. 2: 20. 21. Unde Christiana appellatur, Act. 11: 26. Quocirca obitèr observa α. *Quòd Papa non sit vicarius Christi, nec aliquis sanctorum fundamentum Ecclesiæ.* β. *Quòd alia sit, Ecclesia Christiana solo Nomine, de quâ gloriari possunt omnes seductores & hæretici, nec non ab ijs seducti; hi enim unà peribunt, licet tolerabilius punientur, Esa. 9: 16. Ezech. 34: 5. Luc. 6: 39. 2. Pet. 2: 1. 2. 3. Matth. 11: 22. Alia nomine & Re simul, aliàs solita vocari simul Augustana, verè Evangelica & Lutherana, ubicunq; terrarum vitam toleraverit.*

VII. ℍ *Materia* Ecclesiæ est totum genus humanum: Multi enim i. e. Omnes sunt vocati, omnibus enim non sunt plures, Matth. 20: 16. Dan. 12: 2. Joh. 5: 28. 29. Actu tamen ob propriam negligentiam non omnes facti sunt membra Ecclesiæ, juxta id: Matth. 23: 37, *Ierusalem, Ierusalem quoties volui tuos filios congregare?* &c. De universitate vocatorum varijs modis, & voluntate eos salvandi in Deo, consule dicta, Matth. 28: 19. Marc. 16: 15. Matth. 3: 17. 23. 28. Act. 17: 30. 1. Tim. 2: 4. c. 4: 10. 2. Pet. 3: 9. Huc pertinent non solum Grex & oves, quæ noñunquam solæ Ecclesiæ nomine veniunt, Rõ. 16: 16. Col. 4: 1. 16. 1. Cor. 10: 32. sed & Pastores, qui tamen quatenus sunt Christi *Legati*,

2. Cor. 5: 20, rectè vocantur προϊσταμένοι, & præsunt Ecclesiæ prout sumitur pro solis auditoribus, atq; tunc referuntur ad causam eff. soliq, Christo subsunt tanquam Ministri Domino: cujus unius vocem in scripturis canonicis sonantem audire ipsi & alijs proponere debent, ab eaq; neq; ad dextram neq; sinistram in ullius hominis sive gratiam sive odium deflectere: aliàs, quatenus & ipsi considerantur ut *oves* Christi, Matth. 10: 16, rectè censentur pro Ecclesiæ membris, & pertinent ad *Materiam*. Pseudodoctores verò & Mercenarij, Joh. 10: 12, membra mortua & non nisi ὁμωνύμως sunt, & partes corporis mystici non integrantes intus, sed adhærentes foris & heterogeneæ, in Ecclesiâ, non de Ecclesiâ sunt, 2. Cor. 11: 13. 14. 15. Exierunt à nobis, sed non fuerunt de nobis, judice Apostolo, 1. Joh. 2: 19.

VIII. III. *Forma*, ratio & modus colligendi, conservandi & propagandi Ecclesiam, consistit in divinâ vocatione & amplexu Mediorum divinitùs ordinatorum ad illuminandum homines & accendendum in illis fidem, quâ solâ salvi fiant, Matth. 28: 19. 20. Marc. 16: 15. 16. Joh. 3: 5. c. 17: 20. 1. Pet. 1: 23. Rom. 10: 7. 1. Cor. 1: 21. c. 3: 2.

IX. Quocirca ordinariè necesse est unumquemq; salvandorum esse membrum & civem Ecclesiæ Dei: extra enim Ecclesiam non est salus, Ps. 27: 4. Rom. 8: 30. 1. Cor. 1: 10. Gal. 1: 8. Eph. 2: 12. 19. c. 4: 16. 1. Pet. 2: 4. 10. 1. Joh. 2: 19. Apoc. 22: 15. Et quia civium spiritualium eadem privilegia sint, injurias faciunt Laicis Papistæ, quod lectionem Bibliorum ijs subtrahant, idq; ut plausibiliùs exsequantur, fingunt Christianos auditores nihil Dei Mysteriorum intelligere, cum tamen nequaquam sint

oves

oves brutæ, sed suum Pastorem agnoscunt, & audiunt ejus vocem, Joh. 10:14. 16. Ideoq; Apostolus Corinthios suos jubet dijudicare prudentèr quod ipse scribit, 1. Cor. 10:15. Sicut Beroënses laudantur scrutantes scripturas, Act. 17:11. juxta mandatum Christi & regulam Apostolicam, Joh. 5:39. 1. Thes. 5:21. 1. Joh. 5:1.

X. Quinimò, nemo *illuminatorũ* Laicorũ, quiq; sanæ mentis est, non intelligit *Rem ipsam* vernaculo idiomate propositam, etiam in summis mysterijs, licet ignoret peregrina vocabula, E.g. si credat Christum fecisse miracula propriâ virtute, Eundem totum esse præsentem in S. cœnâ, &c. non solùm unionem duarum naturarum, sed & comũnicationem idiomatũ intelligat & credat necesse est: Sic, non solum intelligere & credere tenetur laicus salvandus, ad sui conversionem nullas vires sibi esse relictas quia salus à solâ gratiâ divinâ dependeat; sed etiam, quod Deus seriò velit omnium hominum salutem, & quod Christum dederit toti mundo Redemptorem universalem &c. Sine tali notitia enim, impossibile esse aliquem nancisci salvificam fidem posse, luculentèr demonstravit B. D. Nic. Hunn. in Διάστ. pag. 197. Idem judicium esto de alijs articulis.

XI. IV. *Finis*, est Regeneratio hominum vocatorum ad vitam æternam, Rom. 1:16 c. 8:28. 29. 30. 1. Pet. 1:3. seqq. Eph. 5:26. Tit. 3:5. Etiam ubi sunt impij, Esa. 55:10. 1. Reg. 19:18. Luc. 8:8. 1. Cor. 15:58. Ubi adversus *Calvini* gregem nota, quòd omnis divina vocatio sit Efficax resp. Dei, inefficacem autem ille simplicitèr æstimat ex absolutâ Dei voluntate causas omnes antegrediente, alios eligentis, alios reprobantis & indurantis; cum longè certissimum sit, meram esse hominum, qui pereunt

culpam, vocationem divinam spernentium & à se repellentium, Act. 13: 46. Matth. 23: 37. Luc. 7: 30. Act. 7: 51. &c.

XII. V. *Affectiones Ecclesiæ* sunt, quod sit 1. *Una: credo unam sanctam, catholicam & apostolicam Ecclesiam, Symb. Nic. Docent quod una sancta Eccl. perpetuo mansura sit*, Aug. conf. art. VII. *Ad veram unitatem Eccl. satis est consentire de doctrinâ Evang. & administratione sacramentorum Apol. p. 151.* Potissimum autem hæc unitas emanat ab unâ Fide, Act. 4: 32. Joh. 17: 11. 17. Unde est illud τὸ ἓν φρονεῖν, Phil. 2: 2, quod limitatur juxta ὀρθοδοξίαν, Rom. 15: 5 τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις, κατὰ χριστὸν ἰησοῦν. Hinc *Eucherius* in 1. Reg. ait: *Totius Ecclesiæ una est confessio.* Quare in primarijs articulis h. e. scitu ad salutem necessarijs, non congruentes, unius veræ Ecclesiæ ceu Matris mysticæ filij non sunt, ideoq; nec fratres in Christo & amici γνησίως dici possunt. Rumpunt autem hanc unitatem falsi Fratres & Schismatici, non verò qui his contradicunt. Vide B. Meisn. ph. sob. part. 1. Sect. 11. c. 3. de Amicitia, p. 521.

XIII. 2. *Sancta*, idq; συνεχδοχικῶς, quia multa continet membra sanctificata Spiritu S. Hinc *sancti sunt, qui habent inter se societatem ejusdem Evangelij seu doctrinæ, & ejusdem Spiritus S. qui corda eorum renovat, sanctificat & gubernat*, Apol. A. C. p. 145. conf. Eph 5: 25. Aug. de symb. ait: *Pretioso sangvine Christi Ecclesia dealbatur.* Estq; sanctitas illa vel *imputata*, 1. Cor. 11: 30. 1. Joh. 1: 7. vel *inchoata*, Ps. 32: 6. 2. Cor. 4: 16. Eph. 1: 4. Neutiquam verò Ecclesia cum suo testimonio extollenda est supra Prophetas & Apostolos, nec quinque secularis priorum patrum authoritas est principium fidei, vel secundarium. cont. *Syncret.*

XIV. 3. *Catholica, quâ intelligimus homines sparsos per*

totum

totum orbem, qui de Evangelio consentiunt, & habent eundem Christum, eundem Sp. Sanctum & eadem sacramenta, sive habent easdem traditiones humanas, sive dissimiles, Apol. A. C. p. 146. Imò, quia universum corpus doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ amplectitur, Adam Franciscus in Margar. Th. p. 127. *Nec ab ullo prohibetur loco, Chrys. in c. Ps. 115.* imò: nulli vel ætati, vel loco, vel genti alligata est. conf. Ps. 19: 5. Rom. 10: 18. Mar. 16: 15. Et hæc tota simulq; non potest errare, Matth. 16: 18.

XV. 4. *Apostolica*, quâ voce peculiaritèr respicitur ad N. T. Est enim Ecclesia super fundamentum non solum Prophetarum in V. T. sed & Apostolorum in quavis orbis parte extructa, Matth. 28: 19. Unde *Beda* in Esd. ait: *In fide & doctrinâ Apostolorum Ecclesia perficitur.*

XVI. VI. Notæ infallibiles veræ Ecclesiæ sunt 1. *Consensus in doctrinâ Evangelij incorruptâ* 2. *Legitimus Sacramentorum usus.* de quibus in Apol. Aug. Conf. hæc leguntur breviter: Neq; verò somniamus nos Platonicam civitatem, ut quidam impiè cavillantur; sed dicimus existere hanc Ecclesiam, videlicet verè credentes ac justos, sparsos per totum orbem: Et addimus notas, puram doctrinam Evangelij, & Sacramenta. Et hæc Ecclesia propriè est columna veritatis (1. Tim. 3:) retinet enim purum Evangelium, & ut Paulus inquit, fundamentum, h. e veram Christi cognitionem & fidem, etsi sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, h. e. quasdam inutiles opiniones, quæ tamen quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur. Verum pleraq; istorum, quæ adversarij nostri defendunt, fidem evertunt, ut quod damnant articulum de Remiss. peccatorum, in quo dicimus fide accipi remiss. pecc. p. 148.

XVII. Quæritur igitur, An Ecclesia Moscovitica, Pontificia, Anabaptistica, Calv. &c. sit vera Ecclesia Christi? R. Neg. 1. Quia desunt veræ notæ. 2. Aliud est dicere in Moscoviâ inveniri veram Ecclesiam, quippe est ibi propter baptismum, etiam Christianismus, quod in Disp publ. Upsaliæ

saliæ A. 620. habita, probavit B. D. Joh. Botvidi; aliud est statuere Ecclesiam Moscovitarum, quippè idololatricam, esse veram Dei Ecclesiam; prius est verum, post. falsum. Item: aliud est dicere in Ecclesiâ Pontificia reperiri multos verè Christianos; aliud Papatum esse veram Ecclesiam, prius qui negaverit, negabit Ecclesiam Universalem: Posterius qui affirmaverit, aut indoctus est, aut Syncretista. Et sic consequentèr. 3. Audi B. Lutherum in præfat. sup. Danielem, ubi diligentèr distinguit Papatum à Christianismo, & fatetur, sub vel in medio Papatu esse Ecclesiam Christianam (sicut fuit in medio Babylone Ecclesia captivorum Judæorum) negat autem ipsum Papam & papatum, aut ab eo seductos esse Christi Ecclesiam: in papatu enim & aliquid est quod est Dei, nempè S. Biblia, Baptismus, cœna Domini; & aliquid quod est Papæ proprium quâ Papa est, h. e. AntiChristus, nempè prava scripturæ interpretatio, traditiones humanæ, superstitiones, idololatria, &c. Discernit igitur Luth. pretiosum à vili, Christianum ab antiChristiano, verum à falso, bonum à malo, rectum ab obliquo, genuinum ab adulterino.

XVIII. VII. Non tâm tandem dividitur Ecclesia vera in species, quia Essentiâ semper una est; quam distingvitur resp. accidentium & circumstantiarum, & quidem I. Quoad loca & status, in Triumphantem in cœlis, & Militântem in terris; hæc rursus in Visibilem seu Vocatorum, & Invisibilem seu Electorum. Visibilis iterum est vel Universalis, de quâ priùs, vel particularis, unius scilicet provinciæ, vel urbis &c. ut Act. 9: 31. 1. Cor. 16: 19. Act. 11: 26.

XIX. Ut Ariani olim ambiebant fraternitatem orthodoxorum, quasi consensus fuisset in fundamento; Et Pelagiani, quasi res quæstionis non fidei fuisset; ita hodierni Syncretistæ ingeminant pacem publicam non esse turbandam. Verum ut B. Patres probè novere pacem Ecclesiæ fundari in veritate; ita Lutherus semper in ore habuit: *Maledicta sit pax, quæ conjuncta est cum jacturâ veritatis.*

Tantum de Ecclesiâ.

I. N. I.

Ad Respondentem,

Eruditione atq; virtute Politissimum Juvenem,
DN. OLAUM N. WALLINUM,
Oelandum, amicum & comprovincialem,

UT procera bonis arbor succrescit in hortis,
Unicus indicio ramulus esse potest:
Christiadum sangvis truculenta per arma profusus
Sic quoq; fœcundi seminis instar habet;
Accipit inde novos crescens *Ecclesia* fructus,
Exstirpari ea non funditùs ergò potest.
Quod W*alline* probas dum, præter cœtera, sacro
Indice, *convallem* diligis *Aboicam*.

L. Mq.
PRÆSES.

Juveni
Præstantissimo & Doctissimo
DNO. OLAO VALLINO Oeland. Fratri & amico suo sincerè dilecto, de Ecclesiâ erudite disputanti,

INtrepidus Cathedram conscendes omine fausto,
Doctas defendens dexteritate Theses:
Hinc velut ipsa suum corpus non deserit umbra:
Sic neq; Virtuti gloria justa perit.

Perge

Perge æternarum sacra pandere dogmata rerum
Atq; animum scriptis irradiare sacris.
Macte tuis studijs citò nam potieris honore
Quem petis, & clarum nomen Iovah dabit.

Votum

SAncte Deus Trinâ qui majestate coruscas,
Insuper hasce meas suscipe quæso preces.
Conserva verbum nobis & signa sacrata,
Ut vigeat veræ Religionis amor.
Authoremq; hujus operis tu protege Christe,
Nobiscum ut felix secula longa terat.
Da digitos lasset non ante exsucca senectus
Quam nova scripta queant cernere plura typos.

Hæc pauca
calamo currenti
ast
animo calenti
gratulabundus apposuit
NICOLAUS M. Bagge
Phil. Cand.